



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XCVII. Ioannis Papae VIII. Ad Omnes Christianos. Excommunicat  
eos qui sibi equos & argenteum vas furati fuerant, nisi intra tres dies  
restituant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

oues creditas inuadendo dilaniet, & sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres carissimi, & totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, vt dilectionem vestram boni amoris sui constantia faciat magis magisque feruescere, atque in pace ecclesiæ & vna vos concedat manere concordia. Nuntiatum vero nobis est quia per Simoniacam hæresin ad sacros ordines quidam adducuntur, & hoc sancto fratri & coepiscopo nostro Rostagno per omnia prohibendum mandauimus: quod vt fraternitas vestra cognoscat & studiose custodiat, ipsa vobis est epistola relegenda. Data vt supra.

## EPISTOLA XCVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ISAAC EPISCOPVM LINGONENSEM.

Vt Treas ad Synodum veniat, & Cabilonum aliquos mittat qui pontificem eo deducant.

*Reuerentissimo Isaac venerabili episcopo Lingonensi.*

**Q**UOD sanctitati tuæ notum esse non ambigimus, pro sanctarum ecclesiarum statu ad Galliarum partes deuenimus. Quapropter, Domino auxiliante, apud Treas Synodum sumus celebraturi, ad quam sanctitatem tuam volumus omnino adesse. Prius tamen venerabilitas tua nobis missos Cabilonum dirigere studeat, qui iter nostrum recto tramite ad prædictum dirigant locum: & per parochiam vestram nobis congruas mansionaticas præparate, id est in villa Marmania, in pago Alhenfi. Data vt supra.

## EPISTOLA XCVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD OMNES CHRISTIANOS.

Excommunicat eos qui sibi equos & argenteum vas furati fuerant, nisi intra tres dies restituant.

*Omnibus episcopis, comitibus, & cuncto populo Christiano.*

**N**OTVM sit quia dum pro pace & vnitae sanctarum Dei ecclesiarum in Gallias venissemus, apud Cabilonum ciuitatem ad iniuriam sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & nostram, multam inhonorationem susti-

*Concil. Tom. 24.*

R

nuimus. Inter quæ equi nostri nocturno silentio nostris hominibus secure quiescentibus, a conciuibus prædictæ ciuitatis latrocinanter furati sunt. Quapropter nos, qui secundum officium ministerii nostri pullulantia vitia gladio spiritali refecare mature debemus, hoc malum cælesti mucrone percutimus: ita vt nisi prædicti equi, & alia furta, nostris hominibus intra tertium diem reddita fuerint, prædictos fures, cum omnibus consentaneis suis, eo quod latronibus latebras præbeant, & excommunicabimus, & anathemati submittemus. Inter hæc Aduardum presbyterum, qui nobis in monasterio Flauiniaco ministravit, cuius homines scutellam argenteam sancti Petri, nescio vtrum consensu illius, an non, furati sunt, pro sacrilegio furti excommunicamus, & pari sententia vt supra, nisi eam reddiderit, constringimus. Data vt supra.

## EPISTOLA XCVIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EPISCOPOS SVFFRAGANEOS ARCHIEPISCOPI  
ARELATENSIS.

Iubet vt cum archiepiscopo suo, simul ac vocati fuerint, ad Trecentem Synodum veniant.

*Omnibus venerabilibus episcopis suffraganeis coepiscopi  
& confratris nostri Rostagni Arelatensis.*

**N**OTVM sit omnium sanctitati quia Domino opitulante pernecessariam vniuersalem Synodum sumus celebraturi: ad quam, mox vt vos prædictus archiepiscopus vester apostolatus nostri literis conuocauerit, omni postposita occasione, obedientiæ vicino gressu occurrere satagatis: quoniam sicut in communi Conuentu, gratia Christi duce, paternis parentibus iussis erit exaltatio; ita, quod non optamus, subtrahentibus se ab hoc magno collegio est subsequutura confusio. Apud urbem Lingonensem i v. Non. Iunias. Similiter Otteranno archiepiscopo Viennensi, Aureliano archiepiscopo Lugdunensi, Roberto archiepiscopo Aquensi, Teutranno archiepiscopo Taraptasiensi, Sigibodo archiepiscopo Narbonensi, Ariberto archiepiscopo Ebredunensi.